



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod actionum, exercitiorum ac studioru[m] omnium certus aliquis scopus
ac finis sit præfigendus. Can. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

rigis quasi aliter tecum, quam cum omnibus alijs Deus acturus sit: videlicet, ut mala tua, quæ non corrigis, impunita maneant. Hæc sunt filia quæ (ut seruus meus recognouit) te debent humiliare, & compunctionis materiam administrare. Sunt tamen nihilo minus alia singularia ac propria, sagaciter ab vnoquoque vestrum exploranda, fortiterque aut mortificanda, aut abijcienda. Sunt præterea quædam aliam generalem, quæ impediunt aut retrahunt à profectu, quæ suo loco manifestabuntur.

Quod actionum, exercitiorum ac studiorum omnium certus aliquis sit scopus ac finis præfigendus.

CANON XI.

Nihil autem tam studiosè quærendum, pro nulla re ad eod certandum è filia, quam ut habeas puritatem cordis. Nam cum nulla sit actio, nullum studium, quod suum non habeat scopum, finem atque destinationem, quin potius ars omnis per certa aliqua media exercitiæ ad finem aliquem (qui finis primum quidem est quod animæ proponitur, licet vltimum sit quod obtineatur) suos conatus mittit, quanto magis studiorum vestrorum, puta exercitiorum, tum corporalium, tum mentalium, lectionum, meditationum, mortificationum, (ut corporalia externatè opera taceam) finis esse debet aliquis, propter quem fiunt. Cogita ipsa, nisi scias aut animo ante conceperis quo currendam sit, nonne frustra arripis cursum? Sic cuilibet actioni dare est finem suum; quo adeptò, iam non est alius ad finem, sed quies.

Puritas cordis & charitas ut sit finis vitæ spiritualis.

CANON XII.

Ad hunc modum in vita verè Christiana, in vita spiritali (cuius innumera sunt studia, actiones, conatus & fatigationes, donec vitia mortificentur, acquirantur virtutes, ac tandem vni Deo inhæreatur) finis est puritas cordis: finis inquam, non omnino vltimus, qui quidem ego sum seu charitas, sed finis (ut vocant) instrumentalis, finis quo referenda sunt omnia studia & exercitia vestra tanquam ad nobilissimum instrumentum, quo obtineatur finis vltimus, videlicet charitas, quæ est ut diligatis me purè propter me, & in omnibus quæ facitis aut committitis, in omnibus quæ eligitis aut respicitis, meus honor ac beneplacitum meum solummodo ac purè quæratur, ad eod ut propter me, è filia, & te ipsam, & omnia alia contempnas, me cunctis præferendo. Atq; id eod omni conatu quicquid agis, quocumque te vertis, quicquid intendis, quicquid incipis, tantum debet tibi illud placere, tantum admitti, quantum conduxerit cordis puritati.

Charitas
vota quæ sit.

Ut cuncta quæ puritati cordis aduersantur respuenda sint, quo item eadem puritas referenda sit.

CANON XIII.

E A igitur, quæ alioqui virtuosa laudatè ac merito digna videntur, si aduersantur puritati aut charitati, iam admittenda non sunt, sed posthabenda. Nihil